



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum omne peccatum conssitat in aliquo actu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

**Magistri Durandi de**

3 A D primum argumentum patet solutio: prima enim  
habilitas non minuitur, nec totaliter tollitur: propinqua  
autem & minutur & tollitur.

4 Ad secundum dicendum quod in anima non est ex  
naturae a sua aliqua remota habilitas ad malum, sed solum  
propinqua causa ex actibus, & illa totaliter tollitur per  
habitum gloriae. Et similiter propinqua habilitas ad bo-  
num minuitur per culpam, & eadem tollitur per obscuria-  
tionem, remota vero non tollitur, nec minuitur in dama-  
natis.

5 ARGUMENTVM in oppositum probat, p. re-  
mora habilitas non tollitur, quod coedimus, quare &c.

Sententia huius distinctionis. xxxv.  
in generali & speciali.

Propterius autem decendum est quid sit peccatum. Su-  
perius determinauit Magister de peccati causalitate,  
hic determinat de peccati quidditate. Et diuiditur in tres.  
Primo determinat de peccato in genere. Secundo de differ-  
entiis peccatorum. Tertio de potentia peccandi. Secunda  
in princ. dist. 42. cum autem voluntas mala. Tertia in princ.  
dist. 43. post predictam considerationem. Prima diuiditur  
in tres. Primo determinat de peccato per comparationem  
ad actus quibus peccatur. Secundò per comparationem  
ad voluntatem in princ. 38. dist. ibi, post predictam de vo-  
luntate. Prima in duas. Primo ponit peccati distinctionem.  
Secundò ex ipsa distinctione tangit diuersas opiniones  
circa peccata. Secunda ibi, quo circa huiusmodi diuersi-  
tatis verborum horum occasione. Hic secunda diuiditur in  
tres. Primo tangit unam opinionem. Secundò mouet quan-  
dam incidentem questionem. Tertio tangit contraria opini-  
onem. Secunda in princ. 39. dist. ibi, sunt autem &  
alii plurimi, prima cum precedenti est principialis lectio,  
& sic sunt in principio lectionis due partes principales.  
In quartum prima tangit peccati distinctionem. In secunda  
tangit diuersas opiniones. Secunda autem diuiditur in tres  
partes, quia primo tangit diuersas opiniones in genere &  
determinat veritatem. Secundo prosequitur quorundam  
opinione. Tertiò ponit illius opinonis confirmationem.  
Secunda ibi, quidam autem diligenter attendentes.  
Tertia ibi, quibus opponitur. Hec tercia diuiditur in tres,  
secundum tres obiectiones, quas excludit. Secunda ibi,  
iterum aliter eis opponitur. Tertia ibi, potest etiam queri  
ab eis. Haec tercia diuiditur in tres. Primo excludit obie-  
ctionem. Secundò inquirit incidenter de corruptione fa-  
cta per malum actum ostendens quod in malum corruptum  
& in quibus. Tertiò de corruptione facta per malum pa-  
ciue. Secunda ibi, sed cum nihil sit in quantum peccatum.  
Tertia ibi, querit autem solet. Haec est sententia & diuisio  
lectionis in generali.

2 IN speciali sic procedit, & proponit primo quod se-  
cundum beatum Aug. peccatum est dictum, factum, vel  
concupitum contra legem Dei. Alio modo secundum eun-  
dem Aug. peccatum est voluntas recipienda vel conseq-  
uendi quod iustitia verat. secundum primam descriptionem  
peccatum consistit in actibus interioribus & exteriori-  
bus, & secundum secundam consistit in actu interiori vol-  
untatis & utramq; descripcio est de peccato actuali & mortali.  
Alio modo secundum Ambros. peccatum est priuariatio  
legis diuinæ, & cœlestium inobedientia mandatorum.  
Postea dicit quod quidam dixerit quod peccatum consistit  
solum in actu interiori voluntatis. Alii dixerunt actuam  
tam interiorum quam exteriorem esse peccatum. Alii dixerunt  
omnes actus esse bonos, & peccatum nihil esse, sicut dicit  
Aug. super Ioan. quod peccatum nihil est, unde secundum  
istos actus interiores & exteriores in quantum sunt, boni  
sunt. & à Deo in quantum autem peccata sunt, nihil sunt,  
quod probatur, quia nisi essent à deo causaliter, nullo mo-  
do contingenter, nec pertinerent ad Dei prouidentiam,  
quod est inconveniens. Item omnis natura est à Deo, sed  
actus interiores & exteriores in quantum sunt, quædā na-  
ture sunt, ergo sunt à Deo. Postea obici in contrarium,  
quia si omnia in quantum sunt, bona sunt, & à Deo, ergo  
adulterium & homicidium bona sunt, & à Deo. Et respon-  
det quod adulterium & homicidium non nominant solum

**Sancto Porciano**

actus, sed actus cum malitia & deformitate. Postea iterum  
obicit, quia quædā peccata consistunt in sola omissione  
& priuatione. Priuatio autem & negatio à Deo non sunt.  
Et responder quod quantumcumque peccatum consistat in  
omissione, semper tamen intelligitur ibi aliquis actus, scilicet  
licet priuatio à bono, quod est malum, sicut econuerlo de  
clinare à malo est bonum. Unde in omnibus talibus sube-  
intelligitur aliquis actus voluntatis, ut velle non credere  
& priuatio boni, igitur erit pena, sed pena sunt à Deo,  
& go peccatum in quantum peccatum erit à deo quod est in  
conueniens. Si vero peccatum in quantum peccatum non est  
pena, sed est priuatio, vel nihil qualiter, ergo corrumpit  
poterit. Respondet quod sicut abstinere à cibo est priuatio,  
& nihil tamen corrumpit substantiam, sic etiam est de pec-  
cato quod corrumpit bonum & elongat hominem à Deo,  
in quantum efficitur Deo disimilis. Ultimum dicit quod cor-  
ruptionis actus est per peccatum. Sed corruptio pasiuia est per  
na & effectus peccati. Et in hoc terminatur sententia, &c.

**QVÆSTIO PRIMA.**

Vtrum malum sufficienter diuidatur per  
culpam & penam.

*Th. 1.2. q. 48. ar. 5.*

Contra distinctionem istam queritur primo, ytrum ma-  
lum sufficienter diuidatur per culpam & penam, &  
videtur quod non: quia in irrationalibus non est culpa  
& penæ quæ responderet culpæ, & tamen in eis inueniuntur  
malum, ergo &c.

2 Idem secundum Aug. in Enchirid. Malum dicitur  
quia nocet, sed omne quod nocet est pena, ergo omne  
malum pena est.

3 IN contrarium est commune dictum doctorum.

4 RESPONSOIO. Dicendum quod pena & culpa  
sufficienter diuidunt malum non vniuersaliter sumptum,  
sed prout reperiuntur habentibus lib. arb. Ad cuius euidentiam  
scindunt est quod cum malum sit priuatio boni, sicut est  
duplex bonum, ytrum pertinens ad perfectionem primam,  
quæ est forma, seu ad integratam rei, ve pars. Aliud perti-  
nens ad secundam quæ est operatio. Sic est duplex malum,  
vnum quod priuatio primi bonum, vel magis est passio pri-  
uati primi boni, & haec dicitur vniuersaliter malum na-  
ture, sed in habentibus electione dicitur malum penæ:  
maxime si contrarij voluntati. Aliud vero quod priu-  
secundum bonum, scilicet debitam operationem vel debitum  
ordinem in operatione, seu debitam rectitudinem: & hoc  
malum vocatur generaliter peccatum, quod etiam reperiuntur  
in naturalibus, prout operatio naturalis non est conve-  
niens, ut dicitur. 2. Physic. Specialiter autem in habentibus  
libe. arb. vocatur culpa, in quantum talis operatio est in po-  
testate nostra propter libertatem voluntatis. Culpamur  
enim solum de his quorū habemus dominium, & ita cul-  
pa & pena solum sunt in habentibus lib. arb. & in talibus  
sufficienter diuidunt malum, quod patet dupliciter. Primo  
quia quod modis dicitur vnum oppositorū & reliquum.  
Sed bonū humānum dicitur rātum dupliciter, scilicet de  
bono nature, & de bono moris: ergo malū similiiter: sed  
malum natura est malum penæ, malum vero moris est  
malum culpæ, ergo &c. Secundò quia omne malū huma-  
num vel est malum quod voluntariē facimus, vel in volun-  
tarie parimur: sed primum est culpa, reliquū vero est pena  
ergo, &c. Vtraque patet per August. i. de libe. arb.

5 A D primum argumentum patet solutio per iā dicta.

6 Ad secundum dicendum quod tam malum culpæ quæ  
pena nocet, vel magis est ipsum documentum: malū qui-  
dem in his quæ pertinent ad primam rei integratitatem, ma-  
lum autem culpæ in actione. Sed quia documentum po-  
ne magis percipitur, quia est contrarium voluntarii, quād  
non documentum culpæ, quæ est voluntaria, ideo vulgus iu-  
dicat penam magis nocere quam culpam.

**QVÆSTIO SECUNDA.**  
Vtrum omne peccatum consistat in  
aliquo actu.

*Th. 1.2. q. 71. ar. 5. Infra 3. d. 13. q. 2. num. 6.*  
*Gand. quodl. 12. q. 24.*

Deinde

**D**ende queritur, utrum omne peccatum consistat in aliquo actu. Et videatur quod sic, quia ille qui eodem modo se habet nunc ut prius, si prius non peccabat, nec modo peccat, sed qui solum omittit quod praeceptum est, pura qui non surgit, ad matutinas & tenerur surgere, similiter se habet hora matutinarum ut prius, quantum ad non surgere. Cum ergo non peccet non surgendo ante matutinas, nec peccabit hora matutinarum, (vt videtur) non surgendo, nisi ponatur in eo aliquis actus per quem se habeat aliter nunc quam prius.

**2** Item peccatum & meritos opponuntur sed omne merito consistit in actu interior vel exteriore, ergo & omne peccatum.

**3** C O N T R A . Omnis transgresio praecepti est peccatum, sed in pura omissione est transgresio praecepti affirmati, ergo ipsa est peccatum, circumscripsi quoque actu.

**4** R E S P O N S I O . Hic non est aliqua dubitatio nisi de peccato omissionis: quia constat quod omne peccatum commissionis consistit in aliquo actu exteriori vel interiori. Et idem dicunt aliqui de peccato omissionis, scilicet quod consistit in actu vel interiori, vt cum aliquis vult non facere quod praeceptum est, vel exteriori, vt cum aliquis occupat se actibus incompatibilibus ei quod praeceptum est fieri, sicut nimis vigilans non potest surgere ad matutinas. Ratio autem huius opiniois forte hoc est: quia videatur quibuidam quod negatio, vel omissionis actus non sit in potestate nostra, nec per consequens culpabilis, nisi mediante aliquo actu per quem habemus dominium super negationem actus, quia aliud est non exire in actu, & aliud habere causitatem super non exire in actu: quia non exire in actu dicit solam negationem actus: sed habere causitatem super non exire in actu, dicit aliquid positivum & actualem super aliquid affirmatum vel negatum, nisi aliquid agendo: ergo voluntas non habet dominium vel causitatem super non exire in actu, nisi aliquid agendo, & sic secundum istos puta omissione non est peccatum, nisi ratione aliquius actus per quem habemus dominium super omissionem.

**5** Sed istud non videtur. Primum quantum ad illud quod dicitur de actu interiori: quia velle facere & velle non facere quod praeceptum est non sic opponitur, vt necesse sit alterum inesse, sicut dicimus de Deo quod non est necesse quod vellet mala fieri, vel velit mala non fieri, immo neutrum vult. Similiter non est necesse aliquem velle obediens precepto, aut velle non obediens, forsan enim de precepto non cogitat, & tamen non faciens quod praeceptum est, peccat: ergo nihil prohibet peccatum omissionis esse sine quoconque actu interiori voluntatis.

**6** Idem appetit de exteriori actu duplicitate. Primum, quia omne peccatum quod est contra determinatum praeceptum si consistit in actu, consistit in determinato actu. Alioquin non esset determinatum peccatum. Sed actu incompatibilis ei quod praeceptum est fieri, sunt in determinatis, sicut nimis vigilans, loquendo, orando vel studiendo non potest hora debita surgere ad matutinas, ergo in nullo actuum potest per se consistere peccatum omissionis, quod est contra determinatum praeceptum. Secundum quia nullus peccat faciendo quod non est medium de se, nec est prohibitum, sed multi actus incompatibilis ei quod praeceptum est fieri sunt huiusmodi, vt vigilare in studio, vel oratione, ergo &c.

**7** Ad rationem eorum dicendum quod ad hoc quod omissione imputetur voluntatis, non oportet quod sit in possibiliitate eius mediante aliquo actu, sicut ad hoc quod actus eius imputetur, non oportet quod ille actus sit in potestate eius mediante aliquo actu, sed ex hoc solo imputatur ei actus, vel omissionis eius: quia in libertate voluntatis est exercere in actu vel non: quia actus vel eius oppositum non est de necessario volilibus, nec habet cum eis necessariam colligantiam: & quicquid sit de actu, respectu tam omissionis imputabilis non oportet id voluntate ponere causitatem actualem & positivam (quia nulla causitatis positiva directe requiritur ad effectum priuatuum) sed sufficit non exire in actu, cuius habetur dominium, & sic causatur a voluntate omissionis culpabilis.

**8** Dicendum ergo quod peccatum omissionis non con-

## Quæstio III.

sistit per se in aliquo actu, sed in sola omissione, sicut & nomine sonat. Quod pater, quia omnis defectus voluntarius est culpabilis: sed omissionis actus debitus est huiusmodi. Est enim defectus (vt de se patet) sed voluntarius non ab actu voluntatis cadere super defectum, vt primi dicit, sed quia in potestate voluntatis fuit vitare ipsum, ergo &c.

**9** Ad primum argumentum dicendum quod licet omitiens eodem modo se habeat nunc & prius quantum ad operationem & omissionem, non tamen quo ad obligationem, quia præceptum affirmatiū cui opponitur omissionis obligat pro determinato tempore pro quo sola omissionis habet rationem culpa.

**10** Ad secundum dicendum quod non est simile de mea ratio & de peccato: quia bonum consistit ex tota causa, maius autem ex particularibus defectibus. Et ideo ad meritum requiritur actus bonus. Ad peccatum autem sufficiunt defectus actus vel bonitatis in actu.

## Q Y A S T I O T E R T I A .

Vtrum peccatum consistat in actu exteriore.

*Thes. 1. 2. q. 20. art. 1. & 2. q. 71. art. 6. ad secundum.*

**P**otest quæreretur, utrum peccatum consistat in actu exteriori. Et videatur quod non, quia actus voluntatis est medius inter actum exteriorum operis & interioris cognitionis, sed interior cogitationis secundum le nunquam est maius quantumcumque sit de malo, ergo nec exterior opus ut videatur.

**2** Item actus exteriorum sunt communes nobis & brutis, sed in brutis tales actus non sunt culpabiles, ergo nec in nobis.

**3** IN contrarium est, quia quod est contrarium præceptum est peccatum, sed non solum actus interiorum, verum etiam exteriorum contrariantur præceptis diuinis quorum quædam sunt de actibus exterioribus ut non occides, non mechaaberis, non furtum facies, ergo &c.

**4** R E S P O N S I O . Sicut appetit ex precedentibus peccatum dicitur absolute defectum operationis, vel defectum debite perfectionis in operatione. Culpam autem dicit spiritualiter defectum bonitatis moralis in operatione *d. 1. huius* voluntatis quæ sola est in potestate operantis. Item actus exterior potest comparari ad immediatum principium eliciens ipsum, vel ad voluntatem imperantem.

**5** Hoc supposito dicendum quod peccatum potest consistere in actu exteriori secundum se, id est, prout comparatur ad immediatum principium eliciens ipsum, sed culpa non potest consistere in actu exteriori secundum se, sed sola prout comparatur ad voluntatem imperantem. Primum pater, quia operatio quæ non est directa ut congruit est peccatum, sed talis operatio est actus exterior secundum se, sicut claudicatio non est ambulatio directa ut congruit bono pedi, & similiter potest esse in aliis, ergo &c. Et hoc modo claudicatio quæ est in eunte ad ecclesiam peccatum est, rectus autem in eunte in eunte ad lupanar bonum. Sed hac bona vel peccatum non sunt moris sed naturæ.

**6** Secundum appetit scilicet quod culpa vel peccatum in moribus non potest consistere in actu exteriori secundum se, sed sola ut comparatur ad voluntatem imperantem, quod patet duplicitate secundum duo quæ sunt in actu culpabili, scilicet materia moralis (quæ est ex defectu conformatiatis ad rationem rectam) & ex imputabilitate eius. Primum sic in essentialiter ordinatis virtutib[us] non habet habitudinem ad primum nisi per medium, sed ratio, voluntas & actus exterior habent ordinem essentiali, ita quod actus voluntatis medius est inter actu rationis & opus exterioris, ergo opus non est natum regulari per rationem nisi mediante voluntate, sed secundum hoc opus exterior habet bonitatem moralem vel malitiam quod natum est regulari per rationem, ergo &c. Secundum patet idem ex eius imputabilitate: quia per hoc aliquis actus est nobis imputabilis *inf. d. 42.* quæsi. i. per quod est in potestate nostra, sed actus exterior solum est in potestate nostra comparatur ad voluntatem imperantem, non autem comparatur ad suum immediatum principium solum. Hoc enim modo est purè naturalis, sed primo modo est voluntarius: ergo &c. Tertio patet idem per rationem communem utriq[ue], quia in illo culpa est essentialiter & per se, in aliis solum cocomitante quo posito sine aliis habetur vera ratio culpe, alias autem positis sine ipso nihil est culpabile, sed posito solo actu voluntatis vere &

*com.*